

stratibus, & ex primoribus Patrum quibusdam, qui ad eum tumultum sedandum accefferant, majores tabernas refringere occœperant. Et jam res ad apertam vim spectare credebatur, quum Petri Lauretani interventu impetus ille compressus est, cujus nomine audito, ferunt barbaros tumultuari desiisse, cœpisseque imperium, quod dudum neglexerant, audire, ac fide ab illo accepta, ne cui id fraudi esset, quod nocturnus ille motus levi de causa ortus esset, se domum recepere. Ferunt tantam Lauretano gratiam ob res bene gestas, tantum omnium ordinum studium jam antea conciliatum fuisse, ut non solum illi, quorum conditio semper in nostra civitate infima fuit, sed amplioris quoque ordinis & fortunæ viri ejus dignitati facile cessuri fuissent: quæ omnia eo facilius ille consecutus fuerat, quo majore erat præditus humanitate, pietateque in Rempublicam incredibili: quas virtutes amplectitur Veneta civitas, ut superbiam & ambitionem detestatur. Accedebat ad id, quod viginti prope annis nullum grave bellum gesserat Venetum nomen, in quo Respublica non esset illius opera fœliciter usa: ac tum quoque, quum Galliæ res in summo essent discrimine, crederenturque Venetorum opes vix Philippi viribus pares, quanquam jam grandem natu, præfecerat eum tamen Senatus validissimæ classi, quam adversus Mantuanum hostem decreverat. Habuit illa tantum navium numerum, quantum fluvialis ad eam diem nulla. Quippe quæ omnium generum navigia supra centum sexaginta habuisse dicatur, in quibus triremes quinque fuerunt, singulæ altiora tabulata habentes, galeones circiter septuaginta: cætera classis minores habuit naves, agilitate & motu celocibus affimiles. Adjiciunt & oblongam lintrem, quæ velut agmen a tergo clauderet. Ratem præterea eximiam, ex quadringentis quinquaginta trabibus abiegnis piceisque, triremium malos longitudine æquantibus contextam. Vim ad hæc armorum navaliumque instrumentorum tantam, ut scaphæ sexaginta his rebus magis quam commeatu onustæ classem sequerentur.

Sed